PA 4461
.H7
Copy 1

PA 4461
.H7
Copy 1

DE

THUCYDIDE MELESIAE FILIO ATHENIENSI.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

CAPESSENDOS

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

SCRIPSIT

THEODORUS HOFFMANN,

HAMBURGENSIS.

HAMBURGI

TYPIS PLESSE & LUEHRS, J. F. FABRICII SUCCESSORUM.

MDCCCLXVII.

PA4461
.H7

CORNELIO MUELLER, D. THEOL.

PRAECEPTORI SUMME VENERANDO

JOANNI EDUARDO PAUL

VIRO DIGNISSIMO HUMANISSIMO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

I.

Quod dicit scholiasta ad Ael. Aristidem[1]: *αὔξει δὲ τὸν Θουκυδίδην, ἵνα πλέον αὐξήσῃ τὸν Περικλῆ* quodammodo etiam de hac nostra dissertatione contendi potest, qua Thucydidem, Melesiae filium, Periclis adversarium, iuste augentes ad hunc quoque, qui certamine excessit victor, recte iudicandum quamvis exiguam, tamen non inutilem, ut speramus, conati sumus dare symbolam.

Nam inde a Xylandri aetate, qui Thucydidas omnino complures fuisse demonstravit[2]) et ab Henrico Dodwello, qui iam pluribus verbis quam Xylander de certamine inter Periclem et Thucydidem exorto et de huius exilio deque difficillimo Plutarchi[3]) loco de quadragenario Periclis imperio, egit[4]), usque ad Carolum Sintenis, qui de Plutarcho edendo praeclare meritus de Melesiae filio etiam disseruit[5]) et K. W. Kruegerum, qui saepius[6]), occasione oblata, de

---

[1]) De quattuor viris, 118. 14. T. III. p. 446. Dind.

[2]) In interpretatione Plutarchi. Francofurti ad Moenum 1592. T. I. p. 313 sqq.

[3]) Plut. Pericl. c. XVI. cf. p. 30 sq.

[4]) Annall. Thucydidei ad annum 444.

[5]) Plutarchi Pericles recensuit C. Sintenis. Lipsiae 1835. p. 117. sqq. cf. iudicium K. W. Kruegeri de hoc libro: Zeitschrift für Alterthumskunde 1836. Nr. 136.

[6]) K. W. Krueger: Untersuchungen über das Leben des Thucydides. Berlin 1832. p. 61. — Zeitschrift für Alterthumskunde. 13. Nov. 1836. — Historisch-philologische Studien. Berlin 1837. p. 204 sqq. 217 sqq. — Epikritischer Nachtrag zu den Untersuchungen über das Leben des Thucydides. Berlin 1839. p. 23.

nostro Thucydide quaestionem instituit, permulta et inventa et collecta sunt, quibus ad Thucydidis vitam componendam uti possimus. Iam vero hunc Thucydidem ut recte iudicemus, eum ab Olori filio accurate discernamus, prorsus necesse est, quod, cum omnes fere historici interpretes [1]) de utroque Thucydide in editionibus disseruerint, nostro tempore multo facilius fieri potest. Maximi autem momenti est Marcellini [2]) vita Thucydidis, qua re de ea in altera dissertationis parte nonnulla afferemus.

Annalium etiam scriptores post Dodwellum veluti Corsinus [3]) et Clintonus [4]) de nostro egerunt, praesertim cum annum, quo Thucydides in exilium pulsus est, ad Periclis principatum recte definiendum praeterire non potuerint. Sed omnes fere homines docti, qui de nostro Thucydide scripserunt, nimia Periclis admiratione capti adversarium neque sine ira neque sine studio iudicarunt, ut Wachsmuthius [5]); alii contra, ut Meinersius [6]), Drumannus [7]), imprimis nostro tempore Ernestus Curtius aequius et rectius, sed paucis tantum verbis de Thucydide dixerunt.

---

[1]) Poppo: Prolegomena ad Thucydidem V. I. P. 1. p. 23. Franciscus Goeller: Thucydidis editio II. Lipsiae 1836. Vol. I., p. 5 sqq. cf. etiam C. Wex: Prolegomena ad Sophoclis Antigonam. Lipsiae 1829. pp. 2. 3. 16. 18.

[2]) cf. Didymi Chalcenteri opuscula ed. F. Ritter. Coloniae 1845. p. 131. Cf. Fabricii Bibl. Graeca. II. p. 728. Cf. Meursii lectiones Atticae. V. 26.

[3]) Eduardi Corsini: Fasti Attici. Florentiae 1751. Vol. III. p. 213.

[4]) Henrici Clintonis: Fasti Hellenici ex altera Anglii exemplaris editione conversi a C. G. Kruegero. Lipsiae 1830 ad annum 428. Vol. I. p. 66.

[5]) Hell. Alterthumskunde. Halle 1846. I. p. 583.

[6]) Geschichte der Wissenschaften bei den Griechen und Römern. Lemgo 1782. Tom. II. p. 143. 145.

[7]) W. Drumann: Ideen zur Geschichte des Verfalls der griechischen Staaten. Berlin 1815. p. 238. Cf. Ernst Curtius: Griechische Geschichte. Berlin 1865. II. p. 171 sq.

Minime vero omnipotentis Periclis gloriae aliquid detrahere nobis in animo est; sed quamvis summum eius ingenium, olympicam quae dicitur, eloquentiam [1]), infinitam vim agendi agnoscamus, quae omnia a Thucydide [2]) et Plutarcho, iustissimis scriptoribus, ei vindicata, ut semper summa dignus habeatur admiratione effecerunt, tamen hac Periclis admiratione adversarios plus aequo neglectos vel contemptos esse, iure contendere nobis videmur. Cur hoc ita factum sit, non est difficile explicatu. Plerique enim homines, certamen inter Periclem et adversarios ortum honestum et necessarium fuisse, sibi persuadere non possunt, immo vero putant, adversarios Pericli quoquo modo offecisse, quominus splendorem et gloriam patriae urbis amplificaret, quum tamen Cimon et Thucydides rationem tantum, quam Pericles secutus est, reiecerint. Pericles enim Athenas a Persis magis quam a Lacedaemoniis tutas fore putabat, adversarii autem non solum Lacedaemoniorum, sed omnium Graecorum amicitiam colendam esse censebant. Pericles igitur bellum Peloponnesiacum necessarium duxit [3]), et quum Atheniensium opes maximae essent, quin victuri essent, non dubitavit; at Cimon et eius factio victorias de Persis reportatas persequi et Persarum opes penitus delere studuerunt. Quod fuit initium certaminis inter Periclem et adversarios. Etsi Pericli adsentimur, quod tandem invidiae Lacedaemoniorum et Atheniensium, quae iam diu Graeciam turbaverat et debilitaverat finem facere voluit, nihilo minus adversarios etiam recte iudicare debemus, qui, quae sibi proposuerant ac quod patriae optimum habebant, omni vi summoque studio assequi conati sunt.

---

[1]) cf. Cic. Brut. c. XI. Plut. Pericl. VIII.

[2]) Thuc. I., 139: *Περικλῆς ὁ Ξανθίππου, ἀνὴρ κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον πρῶτος Ἀθηναίων, λέγειν τε καὶ πράσσειν δυνατώτατος.*

[3]) Thuc. I. 127. 139. Plut. Pericl. 29.

Longum vero est neque necessarium, hasce res hac occasione pluribus verbis exponere; sufficit dicere, finem belli Peloponnesiaci longe diversum fuisse ab eo, quem Pericles speraverat, et Persas, quos Cimon et Thucydides perniciosissimos Atheniensium hostes iudicaverant, multum Lacedaemonios adiuvisse, ut istum exitum haberet. Quibus expositis, iam nunc ad rem, quam nobis proposuimus, transeamus, ac nonnullis de quattuor viris Thucydidis nomine insignibus praemissis, vitam Melesiae filii, quantum fontes sufficiunt, describamus.

II.

In Thucydidis, Olori filii, vita, quae plerumque Marcellino[1]) tribuitur, legimus §§ 28. 29. seq.: „*Μὴ ἀγνοῶμεν δὲ ὅτι ἐγένοντο Θουκυδίδαι πολλοί, οὗτος τε ὁ Ολόρου παῖς, καὶ δεύτερος δημαγωγός, Μιλησίου*[2]), *ὅς καὶ Περικλεῖ διεπολιτεύσατο· τρίτος δὲ γένει Φαρσάλιος, οὗ μέμνηται Πολέμων*[3]) *ἐν*

---

[1]) Cf. F. Ritteri: Prolegomena ad vitam Thucydidis in Didymi Chalcenteri opusculis Coloniae. 1845 p. 1 sqq. et G. H. Grauert ad Marcellini vitam Thucydidis observationes criticae, in Museo Rhenano anni h. s. XXVII.

[2]) De hoc nomine scribendo cf. C. Sintenis ad Plutarchi Periclem. C. XI. p. 117: „Plutarcho quidem *Μιλησίου* filius dicitur nulla librorum discrepantia Pericl. VIII. Nic. II. et sic Schol. ad Aristoph. Vesp. 941, sed Platoni cum in Lachete, tum in Menone p. 94 D. indeque Athenaeo p. 506. b. filius Thucydidis huius vocatur *Μελησίας*, item Aeschini, seu quisquis auctor est diall., qui sub eius nomine feruntur I. 9, eandemque formam habet Schol. ad Aristid: de quattuor viris p. 446 T III. Dind. *Μελισίου*, sed ut veram formam agnoscas, eam enim puto *Μελησίας*. Suidas: *Μελησίας ὄνομα κύριον*.“ Quem hominum doctum quo minus in nomine scribendo sequamur, nihil obstat. Iam Meursius Lectt. Att. V. 26. *Μελησίου* scribendum esse contendit. cf. G. Xylandrum ad Plutarchi Pericl. C. XI. p. 314.

[3]) *Πολέμων* vixit Ptolemaei Epiphanis temporibus atque librum scripsit teste Strabone I. IX. *περὶ τῶν ἀναθημάτων ἐν τῇ ἀκροπόλει.*

τοῖς περὶ ἀκροπόλεως, φάσκων αὐτὸν εἶναι πατρὸς Μένωνος. τέταρτος ἄλλος Θουκυδίδης· ποιητής, τὸν δῆμον Ἀχερδούσιος, οὗ μέμνηται Ἀνδροτίων ἐν τῇ Ἀτθίδι, λέγων εἶναι υἱὸν Ἀρίστωνος· συνεχρόνισε [1]) *δ' ὡς φησὶ Πραξιφάνης* [2]) *ἐν τῷ περὶ ἱστορίας, Πλάτωνι τῷ Κωμικῷ, Ἀγάθωνι τραγικῷ, Νικηράτῳ ἐποποιῷ καὶ Χοιρίλῳ καὶ Μελανιππίδῃ. καὶ ἐπεὶ μὲν ἔζη Ἀρχέλαος, ἄδοξος ἦν ὡς ἐπὶ πλεῖστον, ὡς αὐτος Πραξιφάνης δηλοῖ, ὕστερον δὲ δαιμονίως ἐθαυμάσθη.*

Marcellinus igitur quattuor nominat Thucydidas, rerum scriptorem, demagogum, Pharsalium, poëtam. Cum his Marcellini verbis si coniungimus schol. ad Aristophanis Acharnenses 703: *γεγόνασι δὲ δ'* (scil. *Θουκυδίδαι*) *ὁ ἱστορικὸς, ὁ Γαργήττιος, ὁ Θετταλός, ὁ Μελησίου υἱός* et schol. ad Arist. Vesp. 947: *τέσσαρες δέ εἰσι Θουκυδίδαι Ἀθηναῖοι, ὁ ἱστοριογράφος καὶ ὁ Γαργήττιος καὶ ὁ Θετταλὸς καὶ οὗτος* (scil. *ὁ Μελησίου*) Marcellinum et scholiastam Aristophanis inter se discrepare invenimus. Ambo enim historicum, demagogum, Pharsalium (Pharsalius est idem qui *Θετταλός*) afferunt, sed apud scholiastam poëta sive *ὁ Ἀχερδούσιος* et apud Marcellinum *ὁ Γαργήττιος* desideratur, cum hunc eundem habendum

---

[1]) *συνεχρόνισε δὲ κ.τ.λ.* utrum haec verba ad Thucydidem, Olori filium, an ad Thucydidem Acherdusium pertineant, inter homines doctos dissensio est. Goeller in editione Thucydidis p. 66 dicit: „*συνεχρόνισε* sc. Thucydides, Olori filius.“ Ritterus p. 132 dicit: „Nam illa omnia de poëta Thucydide intelligenda esse manifestum est et vere intellexit Kruegerus in vita Thuc. p. 61 sqq.“ Etsi Rittero assentimur verba: *Μὴ ἀγνοῶμεν δὲ*... usque ad *εἶναι υἱὸν Ἀρίστωνος* additamentum scholiastae cuiusdam esse, tamen de verbis *συνεχρόνισε δὲ*... usque ad *δαιμονίως ἐθαυμάσθη* nihil constitui posse contendimus. Nihil enim nobis de Thucydidis historici apud regem Archelaum commoratione traditum est, attamen facile fieri poterat, ut patria expulsus cum multa alia itinera eum fecisse constat, in Macedoniam etiam, quo multi docti viri se contulerant, iter verteret.

[2]) *Πραξιφάνης* cf. Preller disputatio de Praxiphane. Dorpat 1842. Citatur etiam a Diog. Laert. vita Platonis c. IX.

esse atque illum statui non possit [1]). Iam vero ex verbis Marcellini „*μὴ ἀγνοῶμεν δὲ ὅτι Θουκυδίδαι πολλοί*“ satis apparet, nomen Thucydidem frequentissimum in Attica fuisse cf. Athenaeus 6. p. 234 C., ubi Stephanus, Thucydidis filius nominatur.[2]) Neque praetermittere debemus, schol. Aristophanis dicere: *τέσσαρες δέ εἰσι Θουκυδίδαι Ἀθηναῖοι*, cum ex Thucydide [3]) constet, Pharsalium hospitem urbis fuisse. Quorum solus historicus de se suaque vita nobis perpauca tradidit[4]) idemque Pharsalium [5]) et Hagnonis collegam, quem plerique Melesiae filium [6]) fuisse putant, nominat.

Sed cum historia belli Peloponnesiaci, quam Thucydides, ut *κτῆμα ἐς ἀεί* [7]) posteris reliquerat, antiquis iam temporibus magis magisque inclaruisset magnamque famam nacta esset, fieri non potuit, quin homines docti vitam quoque praeclari auctoris indagare et describere inciperent. Quod sine multo labore fieri non potuit. Nam ea, quae Thucydides ipse de sua vita tradit, sola haec sunt. Thucydides erat vir privatus, qui magnis divitiis opibusque ornatus [8]) studiis litterarum operam dare quam ad rempublicam accedere et honores capessere maluit. Quod etsi Dionysius Halicarnensis negat [9]), cum Thucydidem plus semel belli ducem

---

[1]) Hudsonus quidem ad hunc Marcellini locum putat, Acherdusium non alium fuisse quam quem schol. Gargettium appellet, sed recte Gœller p. 5 in prolegomenis ad Thuc. observat: „Acherdus tribus Hippothoontidis, Gargettus tribus Aegeidis fuisse putatur.“

[2]) De Thucydidis nepotibus cf. p. 15.

[3]) Thuc. VIII. 92. *Θουκυδίδου τοῦ Φαρσαλίου τοῦ προξένου τῆς πόλεως παρόντος*, nihilo secius Meursii coniectura *τέσσαρες δέ εἰσι Θουκυδίδαι, Ἀθηναῖος κ.τ.λ.* mihi probanda non videtur.

[4]) Thuc. II. 48. IV. 104, 105. V. 26.

[5]) Thuc. VIII. 92.

[6]) Thuc. I. 117.

[7]) Thuc. I. 22.

[8]) Thuc. IV. 105.

[9]) Dion. Hal. Epistol. ad Cn. Pompeium 3. 9. *ἐν πρώτοις ἦγον (αὐτὸν) Ἀθηναῖοι στρατηγιῶν τε καὶ τῶν ἄλλων τιμῶν ἀξιοῦντες.*

fuisse et reliquos quoque honores obtinuisse dicat, tamen J. Classenum sequimur, qui Thucydidem ante bellum Peloponnesiacum, quamvis eius rempublicam bene administrari permagni interesset, sua tantum commoda curasse exponit. [1]) At bello Peloponnesiaco orto cum patria tanta calamitate urgeretur, Thucydides quoque eam defendere officii duxit. Postquam imperator classis creatus est, anno 424 [2]) re ad Amphipolim, urbem in Thraciae ora sitam, infeliciter gesta patria expulsus in exilium concessit. [3]) Praeterea Thucydides nihil de vita sua tradidit, nisi se ipsum quoque perniciosissimo morbo, qui Athenas anno 429 invaserat, implicitum esse. Cum his si coniungimus, quae Thucydides de ratione operis componendi profert, omnia habemus, quibus certo fundamento vitae uti possimus. [4])

Sed Thucydide mortuo, cum omnes, qui in studia historica incumbebant, eum antiquis [5]) iam temporibus sibi deligerent ducem et imitari conarentur, praesertim cum

---

[1]) „Wir werden uns nicht weit von der Wahrheit entfernen, wenn wir uns das Leben des Thuc. bis zum Eintritt derjenigen Begebenheiten, welche die ganze Kraft seines Geistes auf eine neue Aufgabe lenkten, bei aller inneren Theilnahme für die öffentlichen Angelegenheiten doch mehr in Verfolgung persönlicher Interessen als einer staatsmännischen Laufbahn hingeflossen denken.“ Cf. praefationem ad Thucydidem p. 19. Cf. Kruegeri vitam Thucydidis p. 44.

[2]) Thuc. IV. 104.

[3]) Thuc. V. 26.

[4]) cf. J. Classen in editione Thucydidis p. XII.

[5]) Docti viri Thucydidem non solum legebant, sed summa admiratione capti semper denuo lectitabant imo transscribebant, ut Lucianus adversus indoctos Vol. 8. p. 4 Bip., Demosthenem octies sua manu Thucydidis historiam transscripsisse tradit. Cf. etiam iudicium Quintiliani I. O. 10. 1. 73.: „densus et brevis et semper instans sibi Thucydides“ et Ciceronis de oratore 2. 23: „Thucydides omnes dicendi artificio mea sententia facile vicit.“ Thucydidem inter Graecos et Romanos multos imitatores invenisse, nihil opus est memoratu. Cf. Goeller p. 53. et Poppo V. I. P. 1. p. 355.

Xenophon librum non ad finem perductum porro tractandum et finiendum excepisset, multa reperta sunt, quae ad vitam magni viri pertinerent aut saltem pertinere viderentur. Alexandrini igitur grammatici eum commentariis exornarunt et quaecumque ad eius vitam explicandam reperire potuerunt, collegerunt, quibus omnibus Marcellinus quidam usus vitam Thucydidis copiose descripsit. Inde ab hoc Marcellino [1]), quem rhetorem quarto saeculo p. Chr. n. vixisse putamus, usque ad nostra tempora, quibus historica doctrina et philologica ad summum pervenerunt fastigium, iis exceptis, quae ipse tradidit, nihil satis compertum de vita summi antiquitatis historici habemus. Vita enim Marcellini non est unum, sed est rerum inter se repugnantium farrago [2]), quam, praesertim cum alia incerti auctoris vita exstet, ut dilucidarent et explicarent, doctissimi viri frustra operam dederunt. Nondum constat, quo anno Thucydides natus, non quomodo, quando et ubi mortuus sit; de consilio etiam scriptoris, utrum opus suum aggressus totum bellum Peloponnesiacum an solum bellum Archidamium describere sibi proposuerit, inter homines doctos dissensio orta est [3]). Longum est et extra propositum, quae illi protulerunt, singillatim hoc loco percensere; in hoc omnes consentiunt, quod ad nos pertinet, quattuor Thucydidas saepe inter se confusos esse [4]).

Quae cum ita sint, haud facile nobis erit, vitam Thucydidis, Melesiae filii, describere; attamen si omnia, quae ad

[1]) cf. Grauert: in Museo Rhenano 1827 p. 169: „Marcellinus, qua fuerit aetate, patria, vita etsi certis exputari non possit neque rationibus neque coniecturis, tamen rhetor certe fuit posterioribus imperii Romani saeculis.“

[2]) Cum Grauert, qui a. a. O. Marcellinum supra modum et merita laudat, consentire non possum.

[3]) cf. F. W. Ullrich: Beiträge zur Erklärung des Thucydides. Hamburg 1846. S. 65 ff. J. Classen p. XXIX. sqq.

[4]) At non solum Thucydidae inter se confusi sunt, sed etiam a librariis, grammaticis, lexicographis veteribus Olori filii permutatio cum aliis scriptoribus facta est. cf. Goeller p. 7. in fine.

hunc procul dubio pertinent, collegerimus et ea, quae falso ad alium Thucydidem referuntur, adiecerimus, vitam huius viri satis perspicue cognosci posse putamus.

Inter veteres vero auctores, qui de nostro Thucydide scripserunt, primo loco nominandus est Stesimbrotus [1]), quippe qui fortasse Plutarchi fons principalis fuerit. Nihil igitur magis dolemus, quam quod commentarii eius *περὶ Θεμιστοκλέους καὶ Θουκυδίδου καὶ Περικλέους* [2]) perditi sunt. Etsi Heeren [3]) contendit, eum hos commentarios scripsisse, non ut praeclaros viros laudaret, sed ut eorum gloriae aliquid detraheret [4]), tamen eum uberrimum fontem eorum, quae de nostro traduntur, fuisse putamus, praesertim cum eum inter calumniatores Periclis fuisse dicat Plutarchus. [5]) Timaeum [6]) etiam Tauromenitanum nostri Thucydidis mentionem fecisse, verisimillimum est. Ea enim, quae Marcellinus [7]) Timaeo auctore de Olori filio affert, in hunc minime quadrant, optime autem, ut infra [8]) demonstrabimus, in Melesiae filium. Quin Philochorus [9]), Androtion [10]), alii rerum Atticarum scriptores de Melesiae filio scripserint, etsi de omnibus non satis constat, tamen non dubitamus. Aristophanes etiam et Plato, item auctor dialogorum, qui sub Aeschinis nomine exstant, Athenaeus, Aelius Aristides, scholiastae Aristophanis, Aelii

---

[1]) Stesimbrotus fuit Thasius ac, quod ex Plutarcho discimus, Cimonis fere aequalis.

[2]) Auctore Athenaeo XII. p. 589 d.

[3]) De fontt. et auct. vitarr. parallell. Plutarchi in commentationibus societatis Regiae scientiarum Gottingensis recentioribus p. 24.

[4]) cf. Ullrich, das Megarische *ψήφισμα*. Hamburg 1838. p. 4. n. 6.

[5]) Plut. Pericl. XIII.

[6]) cf. F. Creuzer: die historische Kunst der Griechen. p. 311—319.

[7]) Marcellinus §§ 25. 33.

[8]) cf. p. 36.

[9]) Philochori fragmenta ed. C. G. Siebelis. Lipsiae 1811. cf. pp. 52. 119.

[10]) cf. schol. ad Arist. Vesp. 947.

Aristidis, Marcellinus, incertus auctor vitae Thucydidis nonnulla nobis praebebunt, quae ad vitam Melesiae filii pertinent, sed tamen inter omnes Plutarchus erit fons principalis. [1]) Nihil de eo tradidit Diodorus Siculus; quod vero Thucydides, rerum scriptor, nusquam [2]) eius fecit mentionem, eo magis dolemus, quia, huius praestantissimi historici iudicio nisi, multo profecto certius de Melesiae filio iudicaremus. Pauca tantum sunt, quae lexica praebent, solus Phavorinus [3]), qui quattuor Thucydidas affert, nostrum optimum oratorem fuisse et Pericli adversatum esse tradit.

III.

Quod ad patrem Thucydidis attinet, omnes scriptores in eo consentiunt, eum Melesiam fuisse [4]). De quo nihil compertum habemus, nisi quod eius *εὔνοιαν καὶ φιλίαν πρὸς τὸν δῆμον* testatur Aristoteles apud Plutarchum [5]). Duos etiam filios Thucydidis, Melesiam et Stephanum, nominat Plato [6]), de quibus in hoc dialogo Socrates, ut demonstret, Themistoclem, Periclem, Thucydidem, multos alios magnos viros liberos suos aliis viris educandos tradidisse, quum iam ipsi eos educare non possent, dicit: „*Καὶ τούτους ἐπαίδευσε* [7]) *τά τε ἄλλα εὖ, καὶ ἐπάλαισαν κάλλιστα Ἀθηναίων. Τὸν μὲν γὰρ*

---

[1]) Ex H. Sauppii sententia Theopompus etiam de nostro Thucydide disseruit. cf. die Quellen Plutarchs für das Leben des Perikles. Göttingen 1867. p. 24.

[2]) De loco Thuc. I. 117. cf. p. 37.

[3]) v. *Θουκυδίδαι.*

[4]) cf. Plut. Pericl. c. VIII. Vita Thucydidis § 27. Schol. ad Arist. Vespas: 947. De nomine scribendo cf. p. 8.

[5]) cf. Plut. Nic. c. II.

[6]) Men. p. 94. D.

[7]) *ἐπαίδευσε* sc. *ὁ Θουκυδίδης.*

Ξανθίᾳ ἔδωκε, τὸν δὲ Εὐδώρῳ· οὗτοι δέ που ἐδόκουν τῶν τότε κάλλιστα παλαίειν. Aeschines quoque duos filius Thucydidis nominat [1]).

Nepotem Thucydidis, Melesiae filium, cui quoque nomen Thucydidi erat, cognoscimus ex Platonis Theagene p. 130. b. Athenaeus [2]) etiam Stephanum quendam, Thucydidis filium, nobis tradit: *Ἐν Κυνοσάργει μὲν οὖν, ἐν τῷ Ἡρακλείῳ στήλη τίς ἐστιν, ἐν ᾗ ψήφισμα μὲν Ἀλκιβιάδου, γραμματεὺς δὲ Στέφανος Θουκυδίδου.* Fortasse hic Stephanus est idem, de quo Plato in Menone dicit. Melesiae denique in Platonis dialogo, Lachete, etiam mentio fit, ubi cum Lysimacho, Aristidis filio, Socratem de liberis educandis consulit; Melesias quidem in hoc dialogo pauca tantum loquitur, sed multum eius interest, ut filius Thucydides quam optime educetur, ut maior quam ipse neque minor quam avus existat. De personarum, quae in hoc dialogo disputant, delectu rectissime iudicat Schleiermacherus.[3])

Noster igitur Thucydides nobili genere natus est. Cf. Plat. Menon. p. 94. D.: *Θουκυδίδης οἰκίας μεγάλης ἦν.* [4])

---

[1]) cf. Aeschinis dialogos ed. J. F. Fischer Miseni 1788. I. 8: *Θουκυδίδης αὖ δύο υἱεῖς ἔθρεψε Μελησίαν καὶ Στέφανον, ὑπὲρ ὧν σὺ οὐκ ἄν ἔχοις εἰπεῖν, ἅπερ ὑπὲρ τῶν Περικλέους υἱῶν. Τούτων γὰρ δὴ καὶ σὺ οἶσθα τόν γ' ἕτερον μέχρι γήρως βιοῦντα, τὸν δ' ἕτερον πόῤῥω πάνυ κ. τ. λ.* cf. Sauppe de caussis magnitudinis Athenarum eiusque labis. Zürch, 1836: p. 23: „Neque temere coniecisse videor, Melesiam eum, qui a Quadringentis Spartam missus esse dicitur (Thucyd. VIII. 86), Thucydidis filium fuisse.“

[2]) Athenaeus VI. 234. e.

[3]) cf. praefationem ad huius dialogi conversionem p. 326. „Was die Wahl der Personen betrifft, so stimmen Lysimachus des Aristides und Melesias, der Sohn jenes Thucydides, der lange Zeit mit vielem Verstande dem Perikles das Gegengewicht hielt, sehr genau zu der im Protagoras aufgestellten Bemerkung, dass die grössten Staatsmänner dennoch des Bildens zu ihrer Kunst unfähig gewesen.“

[4]) cf. Aeschinis diall. I. 9. *Ἀλλὰ γὰρ ἴσως ὁ Θουκυδίδης φαῦλος ἦν; ..... καὶ οἰκίας ἦν μεγάλης καὶ ἠδύνατο μέγα ἐν τῇ πόλει καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις Ἕλλησιν.*

Affinitatis eius cum Cimone mentionem faciunt Plutarchus Pericl. c. XI., qui eum *κηδεστὴν Κίμωνος* nominat et scholiasta Aelii Aristidis II. 118, qui dicit: *γάμβρον ὄντα Θουκυδίδην τοῦ Μελησίου τοῦ Κίμωνος;* eum igitur cum Cimone affinitate coniunctum fuisse, non est quod addubitari possit; sed cuiusmodi haec affinitas fuerit, propter ambiguum verborum *κηδεστής* et *γάμβρος* sensum facile exputari non potest. [1]) Cum vero Thucydides, Olori filius, per maternam originem genti Miltiadis affinis esset, permutatio utriusque Thucydidis facile oriri potuit. Fortasse noster Thucydides Cimonis filiam in matrimonium duxit. [2]) Natus est in curia Alopecensi [3]), quae fuit tribus Antiochensis, qua re fere semper *Θουκυδίδης ὁ Ἀλωπεκῆθεν* nominatur. [4]) Sed de anno eius natali nihil nobis traditum est; qui non nisi coniectura constitui potest; nam ex Plutarchi verbis [5]): *ἐκείνων* [6]) *δὲ πρεσβύτερος μὲν ὁ Θουκυδίδης ἦν* nihil aliud discimus quam Thucydidem Nicia maiorem natu fuisse.

In Aristophanis Acharnensibus [7]) Thucydides, cum in exilium pelleretur, *κυφός* [8]) i. e. senectute flexus sive incurvus fuisse dicitur, quae verba, etsi comoediae more modum excedunt, attamen Thucydidem anno 444 [9]), quo expulsus est, provectiore aetate, annos fere sexaginta natum fuisse contendere possumus. Sed ex alia etiam re apparet, Thucydidem hoc fere tempore natum fuisse. Ubicunque

---

[1]) cf. Xylandrum in annotationibus ad Plutarchi Periclem p. 314.

[2]) cf. Wachsmuth Antiquitates Hellenicae. ed. II. I. p. 583.

[3]) *Ἀλωπεκῆ, Ἀλωπεκαῖ, Ἀλωπεκαί.* cf. Bachmanni Anecdota T. I. p. 731: *Δῆμός ἐστιν ἡ Ἀλωπεκὴ τῆς Ἀντιοχίδος.*

[4]) Plut. Pericl. c. XI. Schol. Arist. Vesp. 947.

[5]) Nicias c. II.

[6]) scil. Nicias, Thucydides, Theramenes.

[7]) v. 703.

[8]) *κυφός*, schol.: *κεκυρτωμένον.*

[9]) cf. p. 33.

enim eius fit mentio, semper fere Thucydides Periclis adversarius [1]) nominatur, quin etiam Plutarchus maximam partem eius temporis, quo Pericles Athenis valebat pollebatque [2]) Thucydidem gravissimum Periclis fuisse adversarium dicit. [3]) Nam quod plerumque credunt homines docti, Thucydidem anno demum 449, quo Cimon de vita decesserat, adversarium Periclis exstitisse, cum quinquennium illud haudquaquam a Plutarcho *πλεῖστος χρόνος* nominari potuerit, iis adstipulari non possumus. [4]) Si Thucydides adversarius Periclis praeter alios nominatur, has partes eum eo tempore egisse necesse est, quo Pericles Areopagum [5]) subvertebat, potestatem iudiciorum publicorum amplificabat, stipendium iudiciale [6]) instituebat, maxime vero tunc temporis cum societas cum Lacedaemoniis tollebatur, quod factum est anno, postquam Cimon in exilium eiectus est (461). Inde ab hoc

---

[1]) cf. Aristides II. 118. 14. *πράττων ὑπὲρ τοῦ πλήθους ἐναντία Θουκυδίδῃ* (sc. *ὁ Περίκλης*). cf. schol. ad h. l. *Περικλῆ, ὅτι καὶ πρὸς τοῦτον* (sc. *Θουκυδίδην*) *ἀντιπολιτευσάμενος*. cf. Phavorin. v. *Θουκυδίδαι, ὁ Μελησίου υἱος, Περικλεῖ ἀντιπολιτευσάμενος*. cf. schol. Arist. Vesp. 941: *Θουκυδίδης Μελησίου υἱὸς Περικλεῖ ἀντιπολιτευσάμενος:* cf. Plut. Pericl. c. XI.

[2]) Inde ab anno 468 ad annum 429.

[3]) cf. Droysen ad Aristoph. Acharn. 702. „Thucydides ist der Sohn des Melesias aus Alopekai, ein Verwandter des Kimonischen Geschlechts und einige Zeit hindurch der Führer der Aristokratie!“

[4]) cf. Sintenis p. 118 .... „videturque non tum demum, quum Cimon mortuus esset, (Ol. 82. 4) adversarius prodiisse Pericli, sed etiam ante eius mortem, si quidem Plutarchus, c. VIII. *πλεῖστον* ait *ἀντεπολιτεύσατο τῷ Περικλεῖ χρόνον,* quod maius temporis spatium quam quinque annorum videri potest significare. cf. Sauppe de fontt. Plut. p. 25.

[5]) De Areopago cf. Meier et Schoemanni librum, qui dicitur: der attische Process. p. 9. cf. etiam Boeckh: De Areopago, in Seebode's: Neues Archiv für Philologie und Paedagogik 1826. cf. Wachsmuth Antiqq. Hell. I. p. 567.

[6]) cf. Meier et Schoemann: Der attische Process p. 136. Boeckh: Staatshaushalt I. p. 250 sqq.

anno usque ad ipsius exilium (444) Pericli adversatus est, donec postremo Pericles, qui omnem auctoritatem in se uno positam esse voluit, adversarium quamvis iam debilem et infirmum in exilium pelleret. Si vero hoc tempore Thucydides Periclis adversarius exstitit, eum virili aetate fuisse necesse est, quod cum nostra sententia bene convenit, quum eum anno fere 500 a. Chr. natum esse persuasum habeamus.

De iuventute Thucydidis nihil nobis veteres scriptores tradiderunt. Sed quin omni studio summaque diligentia litteris haud minus quam palaestrae operam dederit omnibusque, quae ad animum et corpus excolendos praesto erant institutis usus sit, quippe qui nobili genere natus esset, dubitari non potest. Plato vero eum reipublicae peritissimum et Cicero eum et Periclem primos Atheniensium nominat oratores.[1]) Bellis enim Persicis exactis cum iam magni et praeclari poëtae scaenici et philosophi Athenis exstitissent, procul dubio in foro etiam maior ars dicendi postulari coepta est. Qui populo aliquid suadere aut dissuadere volebant, praesertim quum magna de re ageretur, diserte[2]) dicerent, necesse erat. Utrum Thucydides bello contra barbaros interfuerit, nec ne, etsi ex Plutarchi verbis[3]) belli particeps fuisse videtur, diiudicare tamen non audemus. Qua re eum umquam classi praefuisse, quamquam Thucydides[4]) et auctor vitae Sophoclis[5]) Thucydidem quendam inter duces belli Samii nominant, demonstrari posse negamus.[6])

---

[1]) Brutus c. 7. cf. schol. Arist. Vesp. 947: *Θουκυδίδης ῥήτωρ ἄριστος τυγχάνων.* cf. Phavorinum v. *Θουκυδίδαι.* cf. H. Sauppe: de causis magnitudinis Athenarum p. 22: „Thucydides vero, quamquam salis bonus orator“ etc.

[2]) Quanta iam fuerit Themistoclis temporibus facundia intelligitur ex Plutarcho, Themistocl. c. VI. *Ἐπικύδην, δημαγωγὸν ὄντα δεινὸν μὲν εἰπεῖν, μαλακὸν δὲ τὴν ψυχὴν καὶ χρημάτων ἥττονα κ. τ. λ.*

[3]) Plut. Pericl. XI. *Θουκυδίδης, ὃς ἧττον μὲν ὢν πολεμικὸς τοῦ Κίμωνος κ. τ. λ.*

[4]) Thuc. I. 117.

[5]) cf. Vitam Sophoclis § 1.

[6]) cf. p. 37.

Attamen sine dubio Thucydides tempora, quibus Athenae bello cum barbaris implicitae erant, expertus est. Vidit miseriam et inopiam civium, cum ante proelium Salaminium omnia sua in naves transportarent, cum liberos, mulieres, senes in Aeginam transferrent, cum omnes de salute sua desperarent; vidit etiam urbem patriam incendio deletam Themistoclis audacia et ingenio servatam; denuo exaedificatam opulentissimam Graeciae dominatricem factam esse, vidit urbem antea exiguam et cui iam nomen [1]) Persarum terribile fuerit, eiusdem Themistoclis virtute hostibus opibus parem, fortitudine maiorem esse, quae omnia, cum secum reputaret, Athenas nisi cum Lacedaemoniis et aliis Graeciae civitatibus arcta societate coniunctas a barbaris se defendere non posse, facile persuasum habuit. Non solum igitur ea re, quod cum Cimone affinitate coniunctus erat, sed potius sua ipsius cogitatione ad Cimonis partes tractus est. [2])

Pacem enim et amicitiam Lacedaemoniorum colere, exterorum hostium imprimis Persarum impetus summa virtute et audacia reiicere erat studium earum partium, quibus Aristides, Cimon, Thucydides addicti erant. Thucydides non minus quam Cimon [3]) Themistoclis de Athenis merita agnovit; Athenienses classe maximum valere, bene intellexit, sed etiam illa prisca instituta, quibus Athenae tantopere auctae victorias de hostibus reportassent, tueri constituit. Pueros [4])

---

[4]) cf. Herodot. VI. 112. *τέως δὲ ἦν τοῖσι Ἕλλησι καὶ τὸ ὄνομα τὸ Μήδων φόβος ἀκοῦσαι.*

[5]) cf. Curtius: Gr. Geschichte p. 171. „Er war ein Verwandter Kimons; aber nicht aus persönlichen Rücksichten trat er als Parteiführer auf, sondern aus innerer Ueberzeugung.“

[1]) cf. H. Sauppe: De causs. p. 15: „Intelligimus igitur, Cimonem eodem studio rei navalis incensum fuisse, quo Themistoclem vidimus, atque pugnando efficere studuisse, ut idem illud imperium maritimum laete efflorescceret, quod Themistocles pugna Salaminia conditum variis deinde operibus domi confirmare studuit.“

[2]) cf. Plat. Men. p. 94. D., ubi quomodo ipsius filios educaverit, narratur. cf. p. 14.

igitur quam maxime armis gestandis exerceri voluit, ut aliquando fortes viri patriae existerent, neque minorem, ut Areopago [1]) ea, quae ei semper fuerat potestas nullis finibus circumscripta servaretur, operam dedit; neve prisca morum simplicitas tolleretur, idem iudices mercede carere necessarium duxit.

Ita Cimon [2]) et Thucydides affinitate coniuncti, iisdem partibus adscripti populum libertatis quidem cupidissimum neque tamen ad eam plenam tenendam satis capacem finibus quodammodo includere et quamvis eius amore completi omnes tamen, qui novis rebus studebant, summa vi reprimere conati sunt. Alter autem Cimon praeclarum se praebuit imperatorem, quippe qui, quod Miltiades, Aristides, Themistocles inceperant, bellum Persicum, ad finem perduxerit, hostibusque postremum superatis iniquissimas imposuerit conditiones, cf. Diod. XII. 3. 4. [3]); alter in foro [4]) fortis

---

[1]) Non solum Ephialtem, ut Oncken putat, (Athen u. Hellas, Leipzig 1815 I. S. 147 ff.) sed eum cum Pericle comunctum Areopagum subvertisse, recte contendit Sauppius de fontt. Plut. p. 22.

[2]) cf. de Cimone: W. Oncken L. 1. p. 45 sqq.

[3]) De hac pace cf. C. F. Dahlmann: Ueber den Cimonischen Frieden in: Forschungen auf dem Gebiete der Geschichte. Altona, 1822. Negat quidem D. hanc pacem omnino factam esse, quum dicat p. 40: Die bestimmte Angabe und Behauptung eines solchen förmlichen Friedens scheint in den Schulen der Rhetorik entstanden zu sein, wenige Jahre nach dem Frieden des Antalcidas und als rednerischer Gegensatz gegen denselben; sed hac etiam sententia probata, Cimonis de Graecia merita non detrectantur cf. Krueger: Hist. phil. Studien p. 14 sqq.

[4]) cf. Plut. Pericl. c. XI: *περὶ τὸ βῆμα τῷ Περικλεῖ συμπλεκόμενος.* cf. Plut. Pericl. c. x. *Θουκυδίδης .... ἀγοραῖος δὲ καὶ πολιτικὸς μᾶλλον* (sc. *τοῦ Κίμωνος*), ad quae verba Sintenis recte adnotat p. 120: „vocem *ἀγοραῖος*, quae fere semper habeat aliquid invidiosi, hoc loco bono sensu adhibitam esse. *ἀγοραῖος* hic non est, qui dies totos forum conterit quemque oratores et comici appellant *ἀγορᾶς περίτριμμα* et Latini hominem ordinarium vel subrostraneum, sed significat eum, qui in foro versatur, rerumque forensium peritus est." cf. Curtius

optimatium factionis, quae probata servare vellet, defensor exstitit. Quanta vero fuerit eius auctoritas, aperte cognoscitur ex Platone (Men. p. 94. D.): *πλεῖστοι ἦσαν αὐτῷ φίλοι Ἀθηναίων καὶ ξυμμάχων· καὶ ἐδύνατο μέγα ἐν τῇ πόλει καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις Ἕλλησιν.* Cf. Aeschinis diall. I. 9. et Plut. Nic. 11. 5, ubi una cum Aristide nominatur.

Priusquam tamen ad dimicationem Thucydidis cum Pericle, principali adversario, narrandam transeamus et quaeramus, qua re necesse fuerit, ut optimatium factione postremum devicta, Thucydides in exilium pelleretur, quid veteres scriptores de nostri Thucydidis moribus tradant cognoscemus.

Ubicunque Thucydidis fit mentio, inter optimos Graeciae viros numeratur, cf. Plut. Praecept. R. p. g. p. 802. B.: *ἐπεὶ καὶ Κίμων ἀγαθὸς ἦν καὶ Ἐφίαλτης καὶ Θουκυδίδης.* cf. Aeschinis diall. I. 2.: *Σωκρ. Φέρε δή, τίνες ἡμῖν ἄνδρες ἀγαθοὶ γεγόνασιν. Φιλ. Θουκυδίδης καὶ Θεμιστοκλῆς καὶ Ἀριστείδης καὶ Περικλῆς.* Plut. comp. Pericl. c. Fabio c. III. [1]) *ἡ μέντοι πρὸς Μινούκιον ἐπιείκεια τοῦ Φαβίου καὶ πραότης ἐλέγχει τὸν πρὸς Κίμωνα καὶ Θουκυδίδην στασιασμόν, ἄνδρας ἀγαθοὺς καὶ ἀριστοκρατικοὺς εἰς φυγὴν ὑπ' αὐτοῦ καὶ τοὔστρακον ἐκπεσόντας* [2])

Si vero non solum Plutarchus [3]), qui haec tempora bene novit, Thucydidem *ἄνδρα ἀγαθὸν καὶ σώφρονα* aut *ἄνδρα*

---

p. 171: Wie ein Paar Ringer kämpften die beiden Männer an allen wichtigen Versammlungstagen mit einander.

[1]) cf. Plut. Pericl. 8. *ἦν μὲν γὰρ ὁ Θουκυδίδης τῶν καλῶν καὶ ἀγαθῶν ἀνδρῶν.* cf. Plut. Nic. II. *(Θουκυδίδης) τῶν καλῶν καὶ ἀγαθῶν προϊστάμενος.*

[2]) cf. Plut. Nicias II. *Ἔνεστιν οὖν περὶ Νικίου πρῶτον εἰπεῖν, ὃ γέγραφεν Ἀριστοτέλης, ὅτι τρεῖς ἐγένοντο τῶν πολιτῶν καὶ πατρικὴν ἔχοντες εὔνοιαν καὶ φιλίαν πρὸς τὸν δῆμον. Νικίας ὁ Νικηράτου καὶ Θουκυδίδης ὁ Μελησίου καὶ Θηραμένης ὁ Ἄγνωνος, ἧττον δὲ οὗτος ἢ ἐκεῖνοι . . . . . ἐκείνων δὲ πρεσβύτερος μὲν ὁ Θουκυδίδης ἦν, καὶ πόλλα καὶ Περικλεῖ δημαγωγοῦντι τῶν καλῶν καὶ ἀγαθῶν προϊστάμενος ἀντεπολιτεύσατο.*

[3]) Plut. Pericl. c. XI. Thucydides *ἀνὴρ σώφρων* nominatur.

ἀγαθὸν καὶ καλόν multis locis nominat, sed etiam Plato in Lachete et Menone, et Plutarcho auctore Aristoteles idem dicunt, si Thucydides, ut Themistocles, Aristides, Cimon, Pericles, a Platone in summorum Atheniensium numerum adscriptus est, nihil valet contra hos testes schol. ad Aristidem II. 118. 14., qui Thucydidem *σκυλακώδη καὶ ὀλιγαρχικόν* fuisse dicit [1]), neque est, cur Wachsmuthii sententiam probemus, qui dubitanter Thucydidem fortasse bonum virum fuisse docet.[2])

Sed veterum scriptorum testimonio nisi neque nescii, quanta fuerit vis vocabulo *ἀγαθός* [3]) apud Athenienses, quum iam finis Atticae educationis fuerit *ἀνὴρ ἀγαθὸς καὶ καλός*, cum vi contendimus, Thucydidem virum fuisse, cuius morum sinceritas non possit in dubium vocari, immo qui severae ergo deos pietatis, integri patriae amoris, summae fortitudinis praeclarum praebuerit exemplum. [4]) Neque hoc loco, quod Diogenes Laertius (vita Anaxagorae c. IX.) de Thucydide tradit, silentio praeteriri potest. Dicit enim: *Σάτυρος δ' ἐν τοῖς βίοις ὑπὸ Θουκυδίδου φησὶν εἰσαχθῆναι τὴν δίκην,*

---

[1]) Wachsmuth I. 583: „Das erwähnte Scholion setzt wohl sehr ungebührlich hinzu: *σκυλακώδη ὄντα καί ὀλιγαρχικόν*“ et ut nos quidem putamus, haud minus inepte Thucydides in hoc scholio nominatur *διάστροφος τῆς πόλεως*.

[2]) Wachsmuth a. a. O. ein braver Mann, wie es scheint.

[3]) cf. Passow in lexico v. v. „In dem *ἀγαθός* herrscht bei Homer der Begriff der körperlichen Kraft, der kriegerischen Rüstigkeit vor, während bei den Attikern die sittliche Güte, Rechtlichkeit und Tugend vorwiegt. Die Attiker verbinden *καλὸς κἀγαθὸς* als Inbegriff eines athen. Ehrenmannes.“ cf. Wachsmuth Antiquitates Hell. I. p. 567 „Das Wort Kalokagathoi überall auf einen Stand beschränken zu wollen, ist eine Entwürdigung der hohen Persönlichkeit des atheniensischen Bürgerthums seiner Zeit.“

[4]) Plutarchi iudicium: Demosthenis vita c. XIII. *εἴ γε τῇ περὶ τὰς ὑποθέσεις αὐτοῦ φιλοτιμίᾳ καὶ τῇ τῶν λόγων εὐγενείᾳ παρῆν ἀνδρεία τε πολεμιστήριος καὶ τὸ καθαρῶς ἕκαστα πράττειν οὐκ ἐν τῷ κατὰ Μοιροκλέα καὶ Πολύευκτον καὶ Ὑπερείδην ἀριθμῷ τῶν ῥητόρων ἀλλ' ἄνω μετὰ Κίμωνος καὶ Θουκυδίδου καὶ Περικλέους ἄξιος ἦν τίθεσθαι.*

ἀντιπολιτευσαμένου τῷ Περικλεῖ, καὶ οὐ μόνον ἀσεβείας, ἀλλὰ καὶ μηδισμοῦ καὶ ἀπόντα καταδικασθῆναι θανάτου.

Etsi pro certo affirmari non potest, hoc revera factum esse, quum variae causae inter se discrepantes exilii [1]) Anaxagorae nobis traditae sint, attamen eum a Thucydide impietatis accusatum esse veri simillimum est. Cum enim Anaxagoras mente mundum factum esse et coelum omne lapidibus compositum ac vehementi circuitu constare et solem candentem laminam ac penitus ignitam esse doceret, quae praecepta fidem popularem vehementer offendebant, mirum ni Thucydides priscae religioni quam maxime addictus omnia ad hunc perniciosissimum hominem removendum fecisset. Thucydidem vero hoc non solum perfecisse, sed eum a multis aliis optimatibus adiutum esse ex Plutarchi verbis apparet: *καὶ ψήφισμα Διοπείθης ἔγραψεν, εἰςαγγέλλεσθαι τοὺς τὰ θεῖα μὴ νομίζοντας ἢ λόγους περὶ τῶν μεταρσιῶν διδάσκοντας ἀπερειδόμενος εἰς Περικλέα δὲ Ἀναξαγόρου τὴν ὑπόνοιαν* [2]).

Postquam quae de tempore, familia, genere Thucydidis tradita sunt, exposuimus, et eum non solum propter affinitatem cum Cimone, sed potius sua ipsius cogitatione ad optimatium partes pervenisse demonstravimus, postquam denique, qua fuerit fide quibusque virtutibus ornatus cognovimus, ad eius certamen [3]) cum Pericle, principe adversario, nunc accedere possumus.

---

[1]) cf. Clinton Fast. Hell. ad Ol. 87. 1. „Anaxagoras quum iterum Athenas venisset impietatis accusatus est, quo tempore in ius vocati sunt Phidias et Aspasia (Plut. Pericl. c. XXXII. Primum vero anno 450 exilio damnatus Athenas reliquit. cf. Sintenis p. 119. „ac fateor minime improbabile esse, de removendo Anaxagora cogitasse optimates, qui probe intelligerent, quantum Pericles in republica administranda ex eius consilio proficeret, sed de Thucydide res incerta est, cum Cleoni eam rem tribuat Sotion apud Diog. Laert.“

[2]) Plut. Pericl. XXXII.

[1]) cf. Plut. Pericl. XIV. *Τέλος δὲ πρὸς τὸν Θουκυδίδην εἰς ἀγῶνα περὶ τοῦ ὀστράκου καταστὰς καὶ διακινδυνεύσας ἐκεῖνον μὲν ἐξέβαλε, κατέλυσε δὲ τὴν ἀντιταγμένην ἑταιρείαν.*

Quod iam supra[1]) diximus, hic tantum in animum revocare volumus, certamen, quod inter duos illos viros ortum erat, non lucri studio aut vitiosa ambitione aut simulato patriae amore, sed fato quodam civitatis ortum et concitatum esse. Nova enim illa aetas, quam Pericles Graeciae civitatibus et imprimis Athenis creaturus erat, tam diversa a superiore aevo erat, ut bellum civile oriretur necesse esset, quum alii prisca et probata tueri, alii novis rebus studere officii ducerent. Sed profecto certamen erat honestum et qui viri partibus praeerant, summo patriae amore ducti et commoti sunt.

Quae Plutarchus et Thucydides, rerum scriptor, de Periclis ingenio et consiliis tradiderunt quum notissima sint, hoc loco ea repetere necessarium non est, sed ad rem accedamus.

Iam vero Plutarchus[2]), ubi de Anaxagorae philosophiae naturalis utilitate agit, quae homines superstitione liberet eosque veras rerum caussas doceat, narrationem[3]) memoratu dignam profert. „Ferunt, inquit, aliquando allatum ex agro ad Periclem fuisse caput arietis cum unico cornu nati et Lamponem quidem vatem, cum id cornu solidum atque validum vidisset media de fronte enatum, dixisse: futurum, ut, cum eo tempore duo[4]) in urbe principatum obtineant, Thucydides nimirum atque Pericles, ad eum, apud quem id signum sit, unum summa rerum devolveretur. Anaxagoram vero dissecta calvaria ostendisse, non totam eam cerebro repletam fuisse, sed id acutum ovi instar ex toto

---

[1]) cf. p. 7.

[2]) Plut. Pericl. VI.

[3]) Hanc narrationem ex Xylandri interpretatione inseruimus. De auctore huius narrationis cf. Sauppe, de Fontt. Plut. p. 34.

[4]) Plutarchi verba sunt: *δυεῖν οὐσῶν ἐν τῇ πόλει δυναστειῶν.* cf. schol. ad Ael. Aristidem II. 118. *δύο δὲ ἦσαν Ἀθήνησι πολιτεῖαι, οἱ μὲν γὰρ ἦσαν καλοὶ καὶ ἀγαθοί, οἱ καλούμενοι ὀλιγαρχικοί, οἱ δὲ δημοτικοί.*

eo vase ad eam partem confluxisse, qua radices cornus habebant initium. Ac tum quidem in admiratione habitum Anaxagoram: paullo autem postea Lamponem etiam, cum Thucydide fracto, omnes res populi in potestatem Periclis venerunt. Et Plutarchus, ego ita iudico, inquit, nihil obstitisse, quominus et philosophus et vates scopum attingerent, alter causam, alter finem recte prospiciens, nam alteri quidem propositum erat speculari, quibus ex caussis et quomodo id factum esset, alteri praedicere, quam ob rem ita exstitisset, ac quid portendisset.

Bene quidem Plutarchus, sed nostra sententia hac narratione indicatur, Athenienses iam tunc temporis scivisse, necessarium fore certamen inter duas partes, et altera fusa summam rerum ad alteram transituram esse. Quanta autem audacia quantisque viribus Thucydides et Pericles inter se certaverint et quam recte Thucydides adversarium cognoverit et iudicaverit satis aperte ex facete dicto, quod Plutarchus etiam tradit, concludi potest. Dicit enim Plutarchus [1]: *Διαμνημονεύεται δέ τις καὶ Θουκυδίδου τοῦ Μελησίου λόγος εἰς τὴν δεινότητα τοῦ Περικλέους μετὰ παιδιᾶς εἰρημένος. Ἦν μὲν γὰρ ὁ Θουκυδίδης τῶν καλῶν καὶ ἀγαθῶν ἀνδρῶν καὶ πλεῖστον ἀντεπολιτεύσατο τῷ Περικλεῖ χρόνον. Ἀρχιδάμου δὲ τοῦ Λακεδαιμονίων βασιλέως πυνθανομένου, πότερον αὐτὸς ἢ Περικλῆς παλαίει βέλτιον, Ὅταν, εἶπεν, ἐγὼ καταβάλω παλαίων ἐκεῖνος ἀντιλέγων, ὡς οὐ πέπτωκε, νικᾷ καὶ μεταπείθει τοὺς ὁρῶντας.* [2]

Periclem vero et Thucydidem, viros tam diversis factionibus adscriptos et qui omnino inter se discreparent et in privatis rebus et in publicis idque imprimis superiore tempore adversarios exstitisse satis apparet. Quod enim iam supra [3] diximus, Thucydidas saepius inter se confusos esse, eius rei clarius argumentum reperiri nequit quam narratio quaedam ab incerto Thucydidis vitae auctore tradita § 6:

---

[1]) Plut. Pericl. VIII.

[2]) cf. Plut. Mor. p. 802. B.

[3]) cf. p. 12.

δεινὸς δὲ δόξας εἶναι ἐν τῷ λέγειν πρὸ τῆς συγγραφῆς προέστη τῶν πραγμάτων. πρώτην δὲ τῆς ἐν τῷ λέγειν δεινότητος τήνδε ἐποιήσατο τὴν ἐπίδειξιν· Πυριλάμπης[1]) *γάρ τις τῶν πολιτῶν ἄνδρα φίλον καὶ ἐρώμενον ἴδιον διά τινα ζηλοτυπήσας, ἐφόνευσεν, ταύτης δὲ τῆς δίκης ἐν Ἀρείῳ πάγῳ κινουμένης πολλὰ τῆς ἰδίας σοφίας ἐπεδείξατο, ἀπολογίαν ποιούμενος ὑπὲρ τοῦ Πυριλάμπους, καὶ Περικλέους κατηγοροῦντος ἑνίκα, ὅθεν καὶ στρατηγὸν αὐτὸν ἑλομένων Ἀθηναίων*[2]) *ἄρχων προέστη τοῦ δήμου.* Hunc Thucydidem Melesiae filium fuisse, in eo omnes fere homines docti consentiunt. Cf. Goeller p. 6: „in filio Melesiae neque aetas neque cum Pericle nota simultas neque fama obstat, quominus Pyrilampis contra Periclem defensor fuerit[3])." Kruegerus[4]) etiam hunc Thucydidem Melesiae filium esse iudicat.

Pauca tantum nobis de fine certaminis inter Periclem et Thucydidem tradita sunt. Postquam enim Cimon anno 449 supremum diem obiit, solus Thucydides quinquennium optimatium partibus praefuit, quo tempore Atheniensibus quiete

---

[1]) Kruegeri vita Thuc. p. 43. not. 4.

[2]) verba *στρατηγὸν αὐτὸν ἑλομένων Ἀθηναίων* inepte mihi inserta esse videntur. Recte Kruegerus v. Thuc. p. 47. „Anonymum incertissimum Thucydidis historici biographorum" nominat.

[3]) cf. Popp. p. 23.

[4]) Vita Thucydidis p. 42. „Einiges Mistrauen gegen diese Nachricht erregt schon die Bemerkung, dass Thuc. dabei als Verwalter der Staats-Angelegenheiten und Volksführer bezeichnet wird. Als solchen kennen wir den Geschichtsschreiber nicht, (cf. schol. ad Arist. Vesp. 941) wohl aber wissen wir, dass Thucydides, Sohn des Melesias, wenn auch nicht Volksführer, so doch Oberhaupt der Aristokraten und als solches besonders auf der Rednerbühne Widersacher des Pericles war" etc. cf. Plut. Pericl. c. XI. Kruegerus vero oblivisci non debet, Melesiae filium saepissime demagogum nominatum esse. cf. Marcellinus § 28.: cf. schol. Aristid. II. 117. *ᾧ καὶ ὁ δῆμος ἅπας ἐπείθετο· ἄλλως· ᾧ ποτε Ἀθηναῖοι τὰ πολιτικὰ ἐπέτρεψαν, ἐπείθοντο πάντες.* cf. Wachsmuth I. p. 581: „Die Geschichte hat aus der Zeit nach Thukydides Verbannung bis zum peloponnesischen Kriege keines bedeutenden Demagogen Namen dem Andenken erhalten."

frui non licuit. Pace enim bello, quod dicitur, sacro, inter Athenienses et Lacedæmonios turbata, Atheniensibus ad Coroneam[1]) pulsis, non solum Boeoti, sed etiam Megarenses et Euboeae incolae a foedere Atheniensium desciverunt, quin etiam Pleistoanax, rex Lacedaemoniorum, in Atticam irruptionem fecit. Athenienses tamen Euboea devicta, principatu terrestri Lacedaemoniis permisso, tricennales cum eis inducias inierunt. Inter quae bella civium discordia magis magisque creverat, induciis demum factis fieri non potuit, quin certamen intestinum finiretur[2]).

Optimatium enim factio, quae semper pacem cum Lacedaemoniis tueri studuerat, Pericli, qui manifestum se eorum praebuerat hostem et qui bellum cum Lacedaemoniis iudicavit necessarium, quam maxime succensuit eumque quocunque modo coërcere, quin etiam removere conata est. Nihil igitur Thucydides et optimates vehementius optarunt, quam ut occasio eum in ius vocandi daretur. Quae occasio mox iis se obtulit. Thucydides enim, Plutarcho[3]) auctore ut quam maxime Pericli nocere posset, optimates plebi admixtos interque vulgus hominum dispersos esse non passus est, sed eos a plebe segregavit et in unum corpus seorsim compegit[4]), ut iam coniuncta eorum potentia quasi in libra

---

[1]) Ad Coroneam facta est pugna circa auctumnum a. 447. cf. Clinton. Fasti Attici ad Ol. 83. 2. cf. Thuc. I. 113. De clade in Bœotia deque Eubœæ et Megaræ defectione cf. Thuc. I. 114 sqq.

[2]) cf. Curtius Griech. Geschichte p. 171. „Mit Kimon hatte Perikles sich zu gemeinsamen Wirken vereinigen können; mit Thuc. war es unmöglich.“

[3]) Plut. Pericl. c. XI. e Xylandri interpretatione.

[4]) cf. Sauppe p. 22. „Cimon per se clarus suaque ipsius opera optimatium auxilio usus est, quatenus rationes illorum ad ea, quae ipse vellet nolletve convenirent, sed ipse auctoritate et dignitate magis insignis fuit, quam ut optimates in unum coniungere et certam quandam et communem Pericli eiusque sectatoribus adversandi rationem praescribere anxie studeret. Thucydides vero, quamquam satis bonus orator, tamen minus per se ipse quam eo quod optimates eum sequerentur validus,

contra plebem posita momentum efficeret. Itaque contentio Thucydidis et Periclis civitatem in duas partes dissecuit, quarum altera ὀλίγοι, altera δῆμος diceretur. Ideo tum maxime frena populo laxavit Pericles, et gratiam eius captavit quocunque modo, subinde spectaculum aliquod solenne, aut epulum, aut pompam in urbe instituens, et non inelegantibus voluptatibus cives demulcens. Praeterea colonos emisit mille in Chersonesum, quingentos in Naxum, ducentos ac quinquaginta in Andrum, in Thraciam alios mille, alios in Italiam ad inhabitandam, quae tum condebatur Sybaris, quam Thurios nominarunt. Haec agebat, addit Plutarchus, ut otiosa ob idque inquieta turba urbem levaret, inopiae populi succurreret, socios in custodia metuque, ne quid novi moliretur, additis colonis, retineret. Sed urbem etiam quoquo modo augere et ornare studuit, cum Parthenonem, Odeon, Propylaeas multa alia aedificia et templa Phidia, Mnesicle, Ictino adiutoribus aedificaret. Quod adversarii nimirum aegre tulerunt [1]), cum Pericles communibus Graeciae opibus a Delo Athenas translatis ad urbem exornandam atque inaurandam abuteretur; qua re eum in ius vocare constituerunt. Pericles vero cum optimates saepenumero clamitarent, profundi ab ipso pecunias et accidi reditus publicos, populum in concione percontatus est, an magnos sumptus factos esse putarent, affirmantibus ingentes factos, non igitur vestra haec sint impendia, sed mea, atque ego donariis meum nomen inscribam. Quod cum dixisset, populus sive magnificentiam eius admiratus, sive ambitione ductus, ne operum splendori succumbere videretur, sublato clamore, iussit, eum de publico impendere neque ulli rei parcere. Ad extremum cum Thucydide ad testarum suffragium descendens, vicit, eoque eiecto, adversam factionem evertit.

---

efficere studuit, ut ea omnia, quae optimates meditarentur et agerent, uno consilio regerentur.“ De his sodaliciis et consentionibus cf. Sauppe p. 23.

[1]) cf. Curtius Gr. Geschichte p. 171.

Thucydides igitur in exilium pulsus est, et accusatorem eius Aristophanes in Acharnensibus, quae fabula anno 425 docta est v. 703. nominat Cephisodemum [1]) quendam, de quo nihil aliud nobis traditum est, nisi quod eum *λάλον ξυνήγορον* fuisse Aristophanes eodem loco dicit:

τῷ γὰρ εἰκὸς [2]) *ἄνδρα κυφὸν ἡλίκον Θουκυδίδην*
ἐξολέσθαι συμπλακέντα τῇ Σκυθῶν ἐρημίᾳ,
τῷ δὲ τῷ Κηφισοδήμῳ τῷ λάλῳ ξυνηγόρῳ;

Aptior vero occasio Aristophani et ipsi pacis amanti se praebere non poterat, quam ut in ea fabula, qua cives, ut pacem cum Lacedaemoniis componerent, hortatus est, Thucydidis mentionem faceret. Thucydides enim fuerat, qui semper pacem commendaverat, quem Athenienses incurvum [3]) in exilium pepulerant. Quo modo enim ipse poëta de illo exilio senserit [4]) ex sequentibus versibus concludi potest:

ὥστ᾽ ἐγὼ μὲν ἠλέησα κἀπεμορξάμην ἰδὼν
ἄνδρα πρεσβύτην ὑπ᾽ ἀνδρὸς τοξότου κυκώμενον,
ὃς μὰ τὴν Δήμητρ᾽, ἐκεῖνος ἡνίκ᾽ ἦν Θουκυδίδης,
οὐδ᾽ ἂν αὐτὴν τὴν Ἀχαίαν ῥᾳδίως ἠνέσχετ᾽ ἄν, κ.τ.λ.

Sed alio etiam loco [5]) Aristophanes ad Thucydidis exilium alludit:

οὐκ ἀλλ᾽ ἐκεῖνό μοι δοκεῖ πεπονθέναι,
ὅπερ ποτὲ φεύγων ἔπαθε καὶ Θουκυδίδης
ἀπόπληκτος ἐξαίφνης ἐγένετο τὰς γνάθους.

---

[1]) Cephisodemum cf. schol. Arist. Acharn. 705. *Κηφισοδήμῳ· οὗτος θρασὺς καὶ δεινὸς πρὸς τὰς δίκας, Ἀθηναῖος δὲ καὶ οὗτος.*

[2]) *τῷ γὰρ εἰκός·* cf. schol. ad h. l. *τῷ τρόπῳ, πῶς δικαιόν ἐστιν, ἄνδρα γεγηρακότα ἀπολείπεσθαι συμπλακέντα ἀγριότητι; τοῦτο γὰρ δηλοῖ ἡ Σκυθῶν ἐρημία.*

[3]) cf. Sintenis p. 120. „loquitur de Thucydide a Cephisodemo vexato et quod dubitanter adiicio in exilium misso, quum senectute iam incurvus esset.“

[4]) senserit cf. Krueger. Epikr. Nachtrag p. 25: „Wie man sich auch über einzelne Schwierigkeiten entscheiden mag, so viel ist wenigstens gewiss, dass der Dichter das Schicksal des Thucydides bedauert.“

[5]) Vesp. 947.

Ad quae poëtae verba scholiasta adnotat: *Θουκυδίδης ῥήτωρ ἄριστος τυγχάνων, ὃς κατηγορηθεὶς ἐν τῷ δικάζειν οὐκ ἠδυνήθη ἀπολογήσασθαι ὑπὲρ ἑαυτοῦ, ἀλλ' ὥσπερ ἐγκατεχομένην ἔσχε τὴν γλῶτταν καὶ οὕτω κατεδικάσθη, εἶτα ἐξωστρακίσθη.* Poëta enim nostra sententia dicere vult, Thucydidem quamvis semper summum oratorem se praebuisset, tamen in ius vocatum Periclem non solum non vincere potuisse sed ipsum devictum in exilium eiectum esse, quam cladem acceptam poëta subitam vocis amissionem iocose nominat [1]). Quod exilium anno a. Chr. 444 (Ol. LXXXIV. 1.) factum esse contendimus. Plutarchus enim fons principalis et qui procul dubio haec tempora bene noverit, dicit [2]): *καὶ ταῦτα καιρὸς οὐκ ἦν οὐδ' ἀκμὴ καὶ χάρις ἀνθούσης ἐφ' ὥραν πολιτείας ἀλλὰ τεσσαράκοντα μὲν ἔτη πρωτεύων ἐν Ἐφιάλταις καὶ Λεωκράταις καὶ Μυρωνίδαις καὶ Κίμωσι καὶ Τολμίδαις καὶ Θουκυδίδαις, μετὰ δὲ τὴν Θουκυδίδου κατάλυσιν καὶ τὸν ὀστρακισμὸν οὐκ ἐλάττω τῶν πεντεκαίδεκα ἐτῶν διήνεγκε κ.τ.λ.* (cf. Ciceronem [1]) de orat. III., 34.), ex quibus verbis patet, quum Periclem anno 429 mortuum esse tradat Thuc. II. 65., nostrum Thucydidem anno 444 [2]) patria expulsum fuisse. Sed ille Plutarchi locus sane est difficillimus explicatu. Sintenis p. 152 adnotat: „cavendum est autem, ne quis haec verba sic intel-

---

[1]) cf. Wachsmuth I. p. 583. not. 119. „Ein Geschichtchen von seinem Verstummen im Gericht."

[2]) Plut. Pericl. XVI.

[3]) Itaque hic (Pericles) doctrina, consilio, eloquentia excellens quadraginta annos praefuit Athenis et urbanis eodem tempore et bellicis rebus.

[4]) cf. Corsini fasti Attici ad Ol. LXXXIV. 1. Huius archontis (Praxitelis) anno Thucydidem, Melesiae filium, qui Pericli in Republica adversabatur, Periclis eiusdem fraudibus ostracismo sive potius exilio Athenis pulsum esse demonstravit Dodwellus (Annall. Thucydidei p. 106). Itaque Pericles, qui 25 annis in Republica cum adversae factionis principibus versatus erat, hoc anno ceteris eam exstinctis vel sublatis solus præesse coepit, honoremque illum 15 annis obtinuit.

ligat, tamquam praeter quadraginta illos annos quindecim [1]) amplius reipublicae Periclis praefuerit, ad quem errorem commissum etiam Corsinio fast. Attic. II. p. 60 [2]) ipsa Plutarchi verba quodammodo invitare videntur, sed ne Ciceronem dicam, qui Periclem scribit quadraginta annos praefuisse Athenis, tot alia huic rationi obstant, ut ne cogitari quidem de ea possit.“ Omnis loci difficultas tollitur, si pro *τεσσαράκοντα* legimus *τέσσαρα καὶ εἴκοσιν*, quae coniectura simplicissima et necessaria est. De morte Periclis cf. Diod. XII. c. 46. et Corsinii fasti Attici ad annum 429. Minime vero propter hos quadraginta annos, qui nostra sententia alicuius librarii errore in textum venerunt, exilium Thucydidis, ut Kruegerus vult, in alio tempore ponendum est. De quo loco Plutarchi Kruegerus, quod attinet ad constructionem verborum, egit (in Zimmermann's Zeitschrift für Alterthumskunde. 1836. Nr. 137) ibique legendum esse proposuit: *Τέσσαράκοντα ἔτη τὰ μὲν πρωτεύων-μετὰ δὲ τὴν Θουκυδίδου κατάλυσιν καὶ τὸν ὀστρακισμὸν οὐκ ἐλάττω τῶν πεντεκαίδεκα προστατῶν διήνεγκε* [3]).

Idem Kruegerus contendit [4]), Plutarchum errore captum narrasse: Periclem reipublicae quindecim annos post exilium Thucydidis praefuisse, quum dicere debuerit: Periclem quindecim annos ab illo tempore, quo Thucydides evectus sit, usque ad eius exilium rempublicam administravisse. Ponit

---

[1]) cf. Clinton. fasti Hellenici ad annum 429. „sed hi quindecim anni illis quadraginta comprehensi sunt. Neque potuit octogenario maior esse (Pericles) quoniam ita decem annis grandior fuisset quam eius magister Anaxagoras. Itaque Pericles rempublicam capessivit circiter a. 469 solus administravit ab anno 444.

[2]) Corsini fasti Attici II. 60. ..... Ergo cum Pericles ..... quippe qui Plutarcho teste quinquaginta quinque annis Rempublicam administraverit etc.

[3]) Kruegerus interposuit igitur *τὰ* et *προστατῶν*, quae coniectura mihi necessaria non videtur, quippe qua loci difficultas non tollatur.

[4]) Epikritischer Nachtrag p. 27.

igitur exilium Thucydidis in initio belli Peloponnesiaci. Sed nostra sententia non est, quod Plutarchum tanti erroris arguamus, sed potius putamus, numerum quadraginta per errorem scriptum esse. Dodwellus vero ad annum 444 dicit: „Huius autem quadragenariae Periclis *πρωτείας* duas partes invicem distinguit Plutarchus: priorem aliam annorum XXV., qua reipublicae praefuit cum aliis diversae factionis aemulis, aliam, qua mortuis aemulis aut imperio exutis solus pene praeesset sine aemulo. Priorem epocham hoc ipso terminavit, in quo versamur anno. Nam aemulorum ultimum hunc fecit, de quo agimus Thucydidem.“ Rectissime quidem, sed nisi pro *τεσσαράκοντα* legimus *τέσσαρα καὶ εἴκοσι*, locus e Dodwelli ratione explicari non potest, sunt enim non quadraginta sed quinquaginta quinque anni, quos Plutarchus tradidit. Quae Kruegerus ad sententiam suam demonstrandam profert [1]), haud difficilia sunt refutatu. Quae dimicatio enim si in initium belli Peloponnesiaci incidisset, profecto tanti momenti fuisset, ut Thucydides, rerum scriptor, eius mentionem fecisset. Quid? Nonne Melesiae filius Pericli adversatus esset, quum iste tam disertis verbis Atheniensibus bellum contra Lacedaemonios suaderet? [2]) Contentiones vero et lites, quae inter Periclem et adversarios ab anno 444 usque ad annum 430 factae sunt et quae Plutarchus c. 31. sqq. narrat, longe diversae sunt a certamine, quod cum Thucydide ei fuerat; non enim certamen inter optimatium factionem et Periclem, sed inter Periclem et plebem fuit. Si Thucydides harum

---

[1]) Epikrit. Nachtrag p. 27. „Nirgends zeige sich hier (444) schon eine Spur von dem Entscheidungskampfe zwischen den beiden Parteihäuptern. Erst viel später, nachdem die Geschichte der Bauten erzählt ist, wird uns gemeldet, dass Thuc. und seine Anhänger dem Pericles darüber den Vorwurf der Verschwendung gemacht, und dass es endlich (*τέλος*) zu dem Kampfe gekommen, durch den Thuc. verbannt und die Partei desselben aufgelöst worden. Wohin ist anders auch nach dieser Darstellung das Ereigniss zu setzen, als gegen den Anfang des Peloponnesischen Krieges?“

[2]) cf. Thuc. I. 140 sqq.

litium particeps fuisset, quid est cur Plutarchus, quum iam Hermippum, Cleonem, Diopithen multos alios nominet, ipsum Thucydidem silentio praetermiserit? Porro, si Plutarchus inter caput IX., ubi Periclis et Thucydidis dimicationem et caput XIV., ubi exilium Thucydidis narrat, commemorat, multis praeclaris aedificiis Periclem Athenas ornavisse, haudquaquam inde sequitur, optimates Periclem tum demum profusionis accusavisse, quum omnia haec aedificia ad finem perducta essent.

Thucydides igitur anno 444 Pericle auctore in exilium pulsus est [1]), neque nunquam nostra quidem sententia in in patriam revertit. Quod enim belli Peloponnesiaci auctor tradit, Thucydidem quendam in bello Samio inter duces navium fuisse, quae ab Atheniensibus Pericli auxilio missae sunt, ea ad hunc referri non posse, infra [2]) docebimus.

Ut aliis in rebus [3]) sic etiam in eis, quae de exilio Thucydidis traduntur, plures eiusdem nominis viri inter se confusi sunt. Longum quidem est, quae nobis de Olori filii morte tradita sunt, hoc loco repetere, constat tamen de loco et de tempore veteres scriptores inter se discrepare, eaque, quae tradiderunt, minime in hunc unum quadrare. Thucydidem vero, Melesiae filium, testarum suffragio patria expulsum esse, non solum Plutarchus [4]): *μετὰ δὲ τὴν Θουκυδίδου κατάλυσιν καὶ τὸν ὀστρακισμόν κ.τ.λ.* et c. XIX.: *Τέλος δὲ πρὸς τὸν Θουκυδίδην εἰς ἀγῶνα περὶ τοῦ ὀστράκου καταστὰς καὶ διακινδυνεύσας ἐκεῖνον μὲν ἐξέβαλε, κατέλυσε δὲ τὴν ἀντιταγμένην ἑταιρείαν.* Cf. Plut. Alcibiades c. XI.: *μᾶλλον δὲ κύλασιν τὸν ἐξοστρακισμὸν ἡγούμενοι Θουκυδίδῃ καὶ Ἀριστείδῃ καὶ τοῖς*

---

[1]) cf. Sauppe p. 22. „Pericles mox effecit, ut Thucydides testarum suffragiis Athenis pelleretur, quod, cum Pericles mortuus sit Ol. 87, 4 et annos quindecim solus res publicas moderatus esse dicatur, anno quinto vel sexto post Cimonis mortem factum esse apparet.“ cf. Od. Mueller vita Phidiae p. 128.

[2]) cf. pag. 37.

[3]) cf. pag. 12.

[4]) Plut. Pericl. c. XVI.

ὁμοίοις Ὑπερβόλῳ δὲ τιμὴν καὶ προσποίησιν ἀλαζονείας κ. τ. λ. sed etiam Aristophanes in „Vespis“ et „Acharnensibus“, item scholiastae Aristophanis et Aelii Aristidis nobis tradiderunt, sed eum revertisse nemo, ne Plutarchus quidem narrat, unde vero non sequitur, ut ἐπ᾽ ἀειφυγίᾳ multatus sit. Testarum suffragium enim, ut C. F. Hermannus [1]) recte docet, erat ratio summi magistratus; testarum suffragiis damnati decem annos patriam relinquere coacti erant [2]), et quod oblivisci non debemus, ostracismus erat ἄνευ ἀτιμίς, dum ἐπ᾽ ἀειφυγίᾳ ii expellebantur, qui proditionis accusati fuerant, quorum bona publicabantur [3]) Nemo igitur nec Plutarchus neque alius scriptor tradiderunt: Thucydidem aut perpetuo exilio multatum, aut umquam sine plebiscito revocatum esse, sive post decem annos sua sponte Athenas revertisse [4]).

At quo se contulerit Thucydides haud difficile est diiudicatu. Quum enim Olori filium Marcellinus § 24. et Anonymus § 7. tradant, Aeginam migravisse ibique fenus exercuisse, quam rem, ut Kruegerus [5]) recte demonstrat, minime ad Olori filium pertinere posse putamus, qui expulsus Aeginam ab Atheniensibus tunc temporis colonis occupatam se conferre non posset, nihil est, cur non cum Kruegero hanc rem ad Melesiae filium spectare putemus, praesertim quum alter scriptorum, qui rem tradunt, brevi ante Thucydidem avarum et demagogum testarum suffragio pulsum esse dicat, quae omnia de Melesiae filio narrata esse veri simile videtur. Quod vero

---

[1]) cf. Antiquitates Graecae. Heidelberg. 1836. p. 280.

[2]) cf. Plut. Pericl. CX. Ὁ μὲν οὖν ἐξοστρακισμὸς ὡρισμένην ἔσχε νόμῳ δεκαετίαν τοῖς φεύγουσιν.

[3]) Schol. Arist. Vesp. 947. διαφέρει γὰρ φυγὴ ὀστρακισμοῦ, καθὸ τῶν μὲν φευγόντων αἱ οὐσίαι δημεύονται, τῶν δὲ ὀστρακισμῷ μεταστάντων οὐκέτι κ. τ. λ.

[4]) cf. Sauppe: in libro iam supra citato p. 22., Videtur quidem iam anno quarto Athenas rediisse“, quam vero sententiam Sauppius nullis aliis argumentis, quam quae modo refutavimus, demonstrat.

[5]) Kruegerum sequitur Goeller p. 6.

attinet ad fenus [1]), rem nimis auctam esse putamus, quum Graeci fenus tantopere contemnerent, ut vir Thucydidis ingenio praeditus id exercere non potuisset.

Postea vero in Italiam Thucydidem migravisse veri simillimum est. Ex Plutarcho Pericl. XI. Periclem anno 444 coloniam in Italiam deduxisse scimus: *ἄλλους δ' εἰς Ἰταλίαν* (sc. *ἔστειλεν*) *οἰκιζουμένης Συβάρεως, ἣν Θουρίους προσηγόρευσεν*, quod cur fecerit, Plutarchus tradit: *καὶ ταῦτ' ἐπραττεν ἀποκουφίζων μὲν ἀργοῦ καὶ δὶα σχολὴν πολυπράγμονος ὄχλου τὴν πόλιν, ἐπανορθούμενος δὲ τὰς ἀπορίας τοῦ δήμου, φόβον δὲ καὶ φρουρὰν τοῦ μή νεωτερίζειν τι παρακατοικίζων τοῖς συμμάχοις.* Sed tamen principalem caussam, cur Pericles hanc coloniam deduxerit, Plutarchus neglexisse videtur. Plebi enim vita, quam Pericles ei praebuerat, haud male placuit neque paupertas gravis erat, cum Pericles aedificiis exstruendis multos homines teneret occupatos, sed omnibus, qui antea Thucididis factioni [2]) addicti novo rerum statu contenti non erant, hac colonia deducenda Athenas relinquendi apta occasio offerenda erat. Si vero constat, multos probos viros Graeciam variis causis permotos reliquisse et Thurios se contulisse, ut dicam Herodotum [3]), Empedoclem [4]), Lysiam [5]) eiusque patrem Cephalium, quid est cur non Thucydides aetate iam provectus a Pericle ex patria pulsus Thurios etiam domicilium sibi quaesierit?

Anonymus enim §§ 6. 7. varias inter se discrepantes res tradidit. Postquam modo de Pyrilampe narravit, Thu-

---

[1]) cf. Wachsmuth Antiquitates II. 132. „Beim Schuldenwesen mag hoher Zinsfuss in Korinth und Aegina ebenso in der Ordnung gewesen sein als später in Athen!“

[2]) cf. Curtius Griech. Geschichte II. p. 229.

[3]) Herodotum, cf. Suidas, cf. Plin. Hist. N. XII. 4.

[4]) cf. Apollodorum *ἐν τοῖς χρονικοῖς* apud D. Laert. VIII. 52. cf. Clinton fasti Hellenici ad annum 444.

[5]) cf. vitam decem oratorum p. 835. cf. Lysiam adversus Eratosthenem p. 120. 26.

cydidem, pergit, hac victoria de Pericle reportata ab Atheniensibus imperatorem delectum principem populi fuisse. Tam vero *μεγαλόφρων ἐν τοῖς πράγμασι γενόμενος, ἅτε φιλοχρηματῶν, οὐκ εἴα τόν πλείονα χρόνον προστατεῖν τοῦ δήμου. πρῶτον μὲν γὰρ ὑπὸ τοῦ Ξενοκρίτου, ὡς Σύβαριν ἀποδημήσας, ὡς ἐπανῆλθεν εἰς Ἀθήνας, συγχύσεως δικαστηρίου φεύγων ἑάλω· ὕστερον δὲ ἐξοστρακίζεται ἔτη δέκα· φεύγων δὲ ἐν Αἰγίνῃ διέτριβεν, κἀκεῖ λέγεται τὰς ἱστορίας αὐτὸν συντάξασθαι κ.τ.λ.* quae verba quis est qui dubitet, quin ab Anonymo alicunde sumpta nonnullis rebus, quae ad Olori filium pertinent, admixtis de nostro Thucydide dicantur. Certe vero putamus verba: „*πρῶτον μὲν γὰρ ὑπὸ τοῦ Ξενοκρίτου ὡς Σύβαριν ἀποδομήσας*“ et „*ὕστερον δὲ ἐξοστρακίζεται ἔτη δέκα*“ ad Olori filium minime spectare posse; accusatio autem peculatus ex magnis metallis et divitiis, quae Olori filio erant, facile oriri potuit. Qua re et hic duos Thucydidas confusos esse persuasum habemus neque cum Goellero [1]) consentimus, qui Anonymum Thucydidem Olori filium et Herodotum confudisse putat. Nihil igitur obstat, quominus Melesiae filium Sybarin migravisse verisimillimum esse putemus, quod et alia re nobis patere videtur.

Marcellinus enim nostra sententia recte dicit § 33: *τὸ δ' ἐν Ἰταλίᾳ Τίμαιον αὐτὸν καὶ ἄλλους λέγειν κεῖσθαι, μὴ καὶ σφόδρα καταγέλαστον ᾖ.* Nam ubicunque Olori filius mortuus sit, nescitur quidem, hoc tamen nobis item ut Marcellino constat, eum in Italia mortuum non esse, qua re hoc Timaei testimonium ad nostrum pertinere persuasissimum habemus; quae coniectura etiam stabilitur verbis Marcellini § 25: *μὴ γὰρ δὴ πειθώμεθα Τιμαίῳ λέγοντι ὡς φυγὼν ᾤκησεν ἐν Ἰταλίᾳ.* Quae igitur Timaeus de Melesiae filio scripserat, ea falso in vitam Olori filii illata sunt, quem errorem, quamquam Marcellinus intellexit, emendare tamen ausus non est.

---

[1]) Goeller: p. 7. Recte vero Goeller dicit: „Olorum Thucydidis patrem ab Herodoto incitatum et ipsum nomen inter hos colonos dedisse nihil nisi Kruegeri (p. 50) coniecturam esse.“

Quod Kruegerus [1]) cenotaphium Thucydidis in Italia statuendum esse putat, quum dicat, Thucydidem vere aliquantum temporis Thuriis vixisse, fortasse exulem quamdiu Scaptesula in potestate Atheniensium fuerit, et cenotaphium eius ibi fuisse, quamquam ibi mortuus non est, veri similius nobis cenotaphium Melesiae filii, quem in Italia mortuum esse putamus, statui videtur. Cum enim, ut iam supra diximus,[2]) multi optimates et amici Thucydidis huic coloniae se adiungerent, et Thurios se conferrent, Thucydidi, Melesiae filio, in aliena terra mortuo ab iis more Atheniensium cenotaphium erectum fuisse putamus, quod postea multi ad Olori filium retulerunt. Thurini enim potius Melesiae filio, testarum suffragio patria expulso, optimatium factionis forti defensori quam Olori filio proditionis accusato et quem omnino in Italiam venisse, certo contendere non possimus, sepulcrum erexisse videntur.

Sed hic Thucydides, quem provectiore aetate patria expulsum, tum breve tempus Aeginae commoratum, Thurios deinde in Italiam migravisse, demonstravimus, tertio vel quarto anno post damnationem in bello contra Samios gesto dux navium, quae Pericli auxilium ferebant, creatus esse fertur. Thucydides enim historicus dicit I. 117: *καὶ ἐκ τῶν Ἀθηνῶν ὕστερον προσεβοήθησαν τεσσαράκοντα μὲν αἱ μετὰ Θουκυδίδου* [3]) *καὶ Ἄγνωνος καὶ Φορμίωνος νῆες, εἴκοσι δὲ αἱ μετὰ Τληπολέμου καὶ Ἀντικλέους, ἐκ δὲ Χίου καὶ Λέσβου τριάκοντα.*[4]) Quem vero rerum scriptor tantum Thucydidem nominat, eum auctor vitae Sophoclis § 1. aperte Melesiae filium esse iudicat, *οὐ γὰρ εἰκὸς, τὸν ἐκ τοῦ τοιούτου γενόμενον στρατηγίας ἀξιωθῆναι σὺν Περικλεῖ καὶ Θουκυδίδῃ, τοῖς πρώτοις τῆς πόλεως, ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ἂν ὑπὸ τῶν κωμῳδῶν ἄδηκτος ἀφείθη τῶν οὐδὲ Θεμιστοκλέους ἀπεσχημένων.* Schol. etiam ad Ael. Aristidem II.

---

[1]) Vita Thuc. p. 52. — [2]) p. 35.

[3]) *Θουκυδίδου.* cf. schol. Thuc. a. h. l.; *ἕτερός τις Θουκυδίδης, οὐχὶ ὁ συγγραφεύς.*

[4]) cf. Diod. Siculum XII. c. 28: *Ταχὺ δ᾽ ἀποστειλάντων Ἀθηναίων μὲν ἑξήκοντα τριήρεις, Χίων δὲ καὶ Μυτιληναίων τριάκοντα κ. τ. λ.*

118 dicit: *τούτου δὲ τοῦ Θουκυδίδου καὶ ὁ συγγραφεὺς μέμνηται, λέγων· Ἃ μετὰ τοῦ Θουκυδίδου καὶ Ἄγνωνος. κ. τ. λ.* [1])

Interpretes fere omnes hunc Thucydidem Melesiae filium fuisse contendunt. Cf. Hudson: „Hic Thucydides Melesiae filius Alopecensis Periclis adversarius, de quo Plutarchus in Pericle.“ Goeller p. 26: „Thucydides, Melesiae filius, non in exilio obiit, sed paullo post illuc rediisse videtur et dux fuisse in bello a Atheniensibus contra Samios gesto.“ [2]) Quod attinet ad auctorem vitae Sophoclis et scholiastam Aelii Aristidis eos corrupto historici Thucydidis testimonio usos esse, credimus. Verba vero „*τοῖς πρώτοις τῆς πόλεως*“ nostra quidem sententia inepte iniecta sunt, id enim temporis Pericles solus *ὁ πρῶτος ἀνήρ* fuit. Si autem constat,[3]) Sophoclem inter duces fuisse, cur eum Thucydides non nominavit? Wexius [4]) quidem neque nos, inquit, indigemus pluribus testimoniis, ut Sophoclem, licet Thucydides eum non in ducem Samii belli numero commemoret, nimirum quia non magna eius in hoc bello fuisse videtur opera, Samio bello interfuisse comprobemus.“ Sed Tlepolemo et Anticle, viris, de quibus nihil fere aliud traditum est, nominatis, Thucydides, qua est diligentia, Sophoclem praeclarum iam tunc temporis poëtam praeterire non potuit. Qua re Thucydidis loco fortasse Sophocles [5]) in bello Samio dux erat. Aelius Aristides enim inter hos duces Thucydidem non tradit [6]); accedit, quod nomen Thucydides, ut iam supra [7]) diximus, frequentissimum erat, quam ob rem hunc Thucydidem Melesiae filium fuisse haudqua-

---

[1]) cf. schol. Aristoph. Vesp. 947: *ἀλλ οὐδὲ παρὰ τοῖς κωμικοῖς διὰ τὸ ἐπ᾽ ὀλίγον στρατείας ἀξιωθέντα.*

[2]) cf. Classen ad Thuc. I. 117: „Thucydides ist wahrscheinlich der Sohn des Melesias.“ cf. Wachsmuth. I. p. 584 not. 121: „Wahrscheinlich war Thucyd. Strateg im Kriege gegen Samos.“ cf. Sauppe p. 22, qui etiam hunc Thucydidem Melesiae filium fuisse putat.

[3]) cf. Dindorf. Vita Sophoclis. p. IX. — cf. Plut. Periel. c. VIII. — cf. Wex. Prolegomena ad Sophoclis Antigonam p. 3.

[4]) pag. 3. — [5]) cf Dindorf. ad vitam Sophoclis p. IX.

[6]) Schol. Ael. Aristidis III. 483. — [7]) cf. p. 12.

quam constat. Quae quum ita sint, quamvis haud nescii simus, homines doctos, ut magnas, quas praebet bellum Samium difficultates [1]) explicent, duas statuisse expeditiones factas esse, Thucydidem, Melesiae filium, inter duces fuisse negamus. Plutarchus enim, qui bellum Samium narrat, [2]) et qui antea tam multis verbis certamen inter Thucydidem et Periclem tradidit, Thucydidem hac occasione oblata non nominat. [3]) Praeterea si Thucydides omnino dux fuisset, eum antea revocatum fuisse, statuendum esset [4]), sed nihil de eius reditu traditum est. Quod Wexius putat, Athenienses, quia Thucydide, belli gnarissimo homine, carere noluissent, consuetudinem tum violasse et quamvis Sophocles, quem honore dumtaxat ornare vellent, Antiochidi, ut Boeckhius putat, adscriptus esset, tamen ex eadem tribu alterum illum elegisse: prius tamen Thucydides revocandus erat, de qua revocatione nihil scimus, [5]) deinde Thucydidem belli gnarissimum fuisse, ne unus quidem scriptor nobis tradidit, [6]) postremum Thucydides eo tempore iam provectiore aetate erat, quam quem, Athenienses imperatorem delegissent.

Thucydidem vero, quod Cimoni [7]) anno 457 contigerat,

---

[1]) K. W. Krueger. H. phil. Studien. p. 214. — [2]) Plut. Pericl. XXV.

[3]) Neque Diodorus Siculus. XII. 27. Thucydidem nominat.

[4]) cf. Dodwellum ad annum 440. „Si Thucydides postea στρατηγίᾳ ornatus est ad illum potius quam ad cognominem Historicum retulerim, quod intellexit Pausanias de Historico. Nempe Oenobii opera fuisse revocatum. Hoc enim ille de Thucydide Olori filio factum existimat Attic. 23.“ Cui Dodwelli coniecturae assentiri non possumus.

[5]) cf. Dodwellum: „Nec ulla tamen mentio concessi in patriam reditus.“ — [6]) cf. p. 18.

[7]) cf. Krueger Epikr. Nachtr. p. 24: „Nur ein so dringender Anlass wie etwa der, welcher die Zurückberufung des Kimon herbeiführte, könnte eine Abkürzung der Verbannung des Thucydides erklärlich machen, wo aber lässt sich ein solcher hier aus den Verhältnissen nachweisen?“ cf. Sauppe p. 22: Thucydides videtur iam anno quarto Athenas rediisse .... sed Pericli adversari tum aut noluit aut non potuit,“ quae Sauppii sententia a Kruegero refutata est.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 057 100 9

postquam decem annorum exilio multatus esset, secundo vel tertio iam anno revocatum esse, putare non possumus, immo Periclem, qua erat prudentia, pernicisiosissimum adversarium, qui ei tam multos annos adversatus erat, et quem modo expulerat, Athenis prohibere studuisse contendimus.

Melesiae igitur filium anno 444 testarum suffragio damnatum in Italiam se contulisse neque umquam revertisse persuasum habemus, eum autem Thucydidem, quem cognominis rerum scriptor inter duces belli Samii nominat, aut alium Thucydidem aut nomine permutato alium Atheniensem fuisse demonstravimus. Quamdiu Melesiae filius in Italia fuerit, num ipse belli Peloponnesiaci initium expertus sit, quod bellum summis semper viribus avertere studuerat, dicere non possumus, eum vero in Italia sepultum esse Timaeo auctore *αὐτὸν ἐν Ἰταλίᾳ κεῖσθαι* accipimus, eique Athenienses, postquam patria urbs tot tantisque belli vicibus deleta et exhausta est, cenotaphium erexisse veri simillimum est. Monumentum vero aere perennius Aristophanes in Acharnensibus seni de patria praeclare merito posuit, quem etiam nisi Aristoteles, Plato, Plutarchus eum *ἄνδρα σώφρονα καὶ ἀγαθόν* fuisse testati essent, paucis summi poëtae verbis talem fuisse cognosceremus.

Iam vero restat, ut ab iis, qui hasce studiorum primitias sunt lecturi, petam, ut benigne iudicent. Cum enim mihi tam difficile opus aggresso nec valetudo satis firma nec tempus satis aptum esset, ea qua par est diligentia et copia, hoc munere fungi non potui. Qua re in animo est, alio tempore de nonnullis rebus, veluti de bello Samio, quaestionem instituere, qua, quae nunc paucis solum indicata sunt, argumentis demonstrem pluribus et gravioribus.

FINIS.

Errata: p. 34 lin. 9: *ἀτιμις* corr. *ἀτιμίας*. — p 34 lin. 13: sine corr. sive.
" 35 " 16: Thucididis corr. Thucydidis.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 057 100 9